

ut nunc est ita ab antiquis existimatur Thyrsis canens fata Daphnidis. facete Vergilius aemulaturus eius carminis laudes 'extremum hunc, Arethusa, mihi concede laborum', scite Propertius Vergili bucolica laudare aggressus ante omnia 'tu canis .. Thyrsin et attritis Daphnin harundinibus', magis ad graecum exemplar quam latina edyllia respiciens, Theocriteae musae palma contegens accumulansque gloriam Vergili. in illo carmine complura leguntur quae aut nequeant plane expediri a nobis et ut par est percipi, aut adhuc secus intellecta esse ab eruditis videantur, aut denique utrumque. ac primo equidem generi Calydonium adsigno portitorem et Aeolicum monstrum poculi. quippe haec populorum vocabula cum repperisse in versibus 56 et 57 Theonem quoque Hesychii glossa demonstrat tum praesidio sibi esse invicem liquet, quare facilius poetam crediderim hoc quaesiisse velamentum honorificae mentionis qua Alexandri Aetoli artificia perstringeret, sive quis aliud nomen et aptius proferet, quam pro communi scriptura accipiam relatam ab scholiasta ac probatam quondam Ahrenti istam πορθμῆι Καλυδνίῳ. ex altero genere versum memoro 96, in quo Venus ad Daphnim venisse dicitur furtim ridens, gravem autem iram sustentans. inusitate Theocritus loquitur, immo etiam ambigue, nam ne posse quidem hoc fatebimur satis perspicere quid sit ἀνὰ θυμὸν ἔχουσα, nisi clarissimum praecederet istud λάθραι μὲν γελάουσα, unde sane prae se tulisse Venerem apparet eum qui contra inducitur animi affectum. cur autem tam inusitate Theocritus? ut quasi nutu sermonis significet Venerem tum cum tabesceret Daphnis ceterosque omnes eius misereretur, ne ipsam quidem prorsus nulla commotam esse misericordia. sed quamquam mox ipsa iuvenem parata erit erigere depositum, nunc dea laesa omni repressa lenitate gravem infestumque animum sustinet, aegre fortasse, sed sustinet et ostendit, iras ut Vergilius in angue dixit attollit. tertii quoque generis exemplum dabo. discedens ex rebus humanis Daphnis feras silvestres valere iubet et fontes ac fluvios v. 117: χαῖρ' Ἀρέθουσα καὶ ποταμοὶ τοὶ χεῖτε καλὸν κατὰ Θύμβριδος ὕδωρ. de Thymbridis verbo reque magna fuit adhuc controversia. varias nobis vel codices vel scholia figuras offerunt vocabuli: Θύβριδος scribitur extrita nasali ut in Σηλυμβρία Σηλυβρία aliisque non paucis, *Thybris* latino Theocriti interpreti placuit in Aeneide auso nomen id transferre ad Tiberim Romanum, qua in re secuti sunt Vergilium poetae latini iam proximi tempore (catalepton 13, 23?) nec minus graeci, hi quidem restituta nasali Θυμβριάδας vocitantes Roma-

nas. Asclepiades autem Myrleanus Δύβριδος scripsisse in Theocrito fertur et adnotasse δύβρις κατὰ γλῶσσαν ἢ θάλασσα, similiter Thymbram Troadis Thymbraeoque Apollini cognata nomina Hellanicus olim per δ extulerat, non per θ, idque dialecti diversitas talis effecisse potest quali Macedones pro aspiratis medias substituere soliti sunt. denique etiam tenuem testatur, si tamen non corruptum est, hoc scholion γράφουσι δὲ τινες ὑπὸ Τύμβριδος, ἐστὶ δὲ καὶ οὗτος ποταμὸς Σικελίας. de re veteres disceptasse videntur, utrum mare Theocritus dixerit an fluvium aut fossam. et tantum quidem Asclepiadi ceterisque fidei habemus, ut credamus non solum omnino ita appellatos esse fluvios quosdam et alicubi salum maris, sed etiam in Sicilia fuisse fluvium nomine Thybrin quem fossa perductum ab Hercule iactaverint in agro Cephaloeditano, quem agrum meminisse oportet non longe abesse a Thermis Himeraeis. at certum nobis est non potuisse Theocritum in isto versu ad fines Cephaloeditanos digredi ex eo loco in quo scaenam morituri Daphnidis ipse posuerat versibus 68 69: deerant pereunti Nymphae, neque enim Anapi fluenta tenebant aut Aetnae speculam aut Acidis undas. quae nomina locorum ordoque declarant iacentem Daphnim fieri a poeta si non iuxta ipsum Acim, tamen in valle subiecta Aetnae spectante ad Anapum camposque Syracusanos. hoc igitur rectius qui auctores et Servio fuere ut scriberet 'circa Syracusas esse Thybrin Theocritus meminit' et Theaeteto, sive Arethusae commemoratione hi ducti erant sive etiam subtilius rimati cetera, rectius quam illi qui Cephaloedium iniecerunt, regionem insulae non modo procul disiunctam sed contrariam. deinde Thymbris quid rerum fuerit si quaerimus, rursus non concedimus veteribus fluenta hic dici amnis aut canalis aut maris. immo enim in κατὰ quoniam congruunt codices itaque de Thymbride fluvios aquam fundere scriptor pronuntiavit aperte, haut aliter quam κρήνη κατ' αἰγίλιπος πέτρης χέει ὕδωρ apud Homerum, cogimur loca superiora intellegere montis. et quoniam multitudinem indicavit fluviorum inde decurrentium qualis oriri ex alto neque in angusto manare solet, quid tandem magis est credibile quam ipsam significari Aetnam, cuius nomen volgare poeta ter repetere fastidierit, hic maluerit proponere abstrusius, fisus agnituros quicumque totam odam perlegerent? potest scilicet ut colli devexo a vertice Aetnae aut nescio cui iugo porrectiori nomen peculiare fuerit Thymbris partemque montis Theocritus pro toto nuncuparit. potest autem idque nimio magis mihi probatur, ut istud montis vocabulum in ore

pastorum Aetnaeorum et accolarum versatum sit tamquam populare sanctum festivum ideoque expromptum ab Syracusano. certe enim Θύμβρις deductus est a θυμ- θυμιᾶν similiter atque γαμβρός a γαμ-, denotatus igitur eo nomine ab origine *Fumidus* aliquis vel Τυφωεύς, quod Aetna insigne gessit geritque imprimis.

III Plutarchus quaest. rom. 42 p. 275 A quaerit cur Saturno dicatum sit aerarium, ἢ ὅτι καρπῶν ἀρετῆς ἢ γεωργίας ἡγεμῶν ὁ θεός; fructuum enim proventu genitam esse pecuniam. adsentior eis qui ἀρετῆς non tolerabile putarunt, corrigoque εὐρετῆς, *fructuum repertor* quem Macrobius dicit sat. I 7, 25. sic μήλων εὐρετῆς Dionysus in Athenaeo III p. 82 D.

de Alexandri fortuna I 9 p. 331 A: ne spectemus poetarum de Alexandri statuis magniloquentiam, αὐδασούντι quod quae secuntur verba implent distichon (Preger inscr. gr. metr. 279), καὶ Ἀλέξανδρος ἐγὼ Διὸς μὲν υἱός. ταῦτα μὲν οὖν ὡς ἔφην οἱ ποιηταὶ κολακεύοντες —. perperam editores et distingunt et alia post υἱός intercidisse opinantur. epigrammata duo Plutarchus memorat, illud elegiacum, hoc cuius unum adposuisse versum satis habuit, Ἀλέξανδρος ἐγὼ Διὸς μὲν υἱός, Phalaeceum incipiens a brevi syllaba ut Theocriti epigr. 18 vel istud *meas esse aliquid putare nugae*.

quaest. conviv. II 7, 2 p. 641 D: συμπτώματα et αἰτίαι confunduntur, quasi si florem viticis uvae maturitas consequi videatur, ὅτι δὴ τοῦτο τὸ λεγόμενον ἢ ἄγνος ἀνθεὶ χῶ βότρυς πεπαίνεται. carmen emendavit Nauckius trag. adesp. 396 ἢ τ' ἄγνος. sed quoniam masculino genere Atticos efferre ἄγνον Ael. Dionysius docuit et Plutarchi libri ὅτι δὴ ὅτε τοῦτο habere feruntur, mihi scribendum videtur ὁ τ' ἄγνος, nam ὅτε quondam propter versum in margine adscriptum, tum male insertum esse Plutarcheis sumo.

IV Porphyrio ad Horati epist. I 3, 6: *cohors nunc amici, nam et Lucilius eos qui cum praesidibus ad salarium eunt, mercede meras legiones ait.* ex hoc mercede inventas Porphyriionis et Lucilianorum editores fecerunt, melius *mercede merentes* I. Dousa, verum nulla paene mutatione scribendum est *mercedimeras legiones*. iamque apparet, Nonii verba p. 345 in *meret* haec *Lucilius lib. I et mercede meret relegiones*, de quibus Lachmannum fr. 29 Muellerum I 36 Baehrensium 12 opinio fefellit, quo modo emendari oporteat. Lucilius enim saturae qua Lupum satellitesque exagitavit, aliquem versum tali modo concluderat *dux pereat malus] et mercedimerae legiones*, novo verbo figuram imitatus latini *mercedituum*, quod Paulus F. interpretatur, vim ac notionem graecorum quale est μισθαρνείν.

V Seneca Lucilio in epistula XVII 1 (101) subitam mortem narrat Senecionis equitis R. qui ex tenui principio se ipse promoverit. adscribit haec § 2: *facilius crescit dignitas quam incipit; pecunia quoque circa paupertatem plurimum morae habet, dum ex illa erepat; hic etiam Senecio divitiis imminet, ad quas illum duae res ducebant efficacissimae.* aut potius editores ita scribentem fecerunt, in codicibus Bambergensi et Argentoratensi inveni *erepat hae etiam.* unde discimus illud enuntiatum quo morari circa paupertatem pecunia dicitur, separatum fuisse ut oportuit ab eo quo erepere. legemus una interserta littera *dum ex illa erepat haeret: iam Senecio.*

ibidem § 8 de timore futurae vitae ac mortis *nihil est inquit miserius dubitatione venientium quorsus evadant: quantum sit illud quod restat aut quale, collecta mens explicabili formidine agitur. recte explicabili,* nam subiungit philosophus *quo modo effugiemus hanc volutationem?* id est explicabimus istam formidinem. prave *collecta* vel per se vel quod compages orationis resolvit. corrigendum hoc censeo in *sollicita.*

carmen Maecenatis proponitur § 11: *debilem facito manu, debilem pede, coxa, tuber adstrue gibberum, lubricos quate dentes: vita dum superest, benest; hanc mihi, vel acuta si sedeam cruce, sustine.* cuius ultimum versum facile quidem est redigere in formam glyconeae tralaticiam scribendo *sidam,* ego tamen mutare cunctor. ignoramus enim quam Maecenas in his numeris legem ordinemve servarit, an aemulatus sit libertatem Graecorum quorum popularem cantilenam novimus talem *δέξαι τὰν ἀγαθὰν τύχαν, δέξαι τὰν ὑγίαιαν, ἂν φέρομεν παρὰ τᾶς θεοῦ, ἂν ἐκάλῃσσο τήνα,* an in clausula consulto duplicarit dactylum quasi accelerans ad suprema. de hoc viderint alii, sed male suspensos ex orationis intervallo numeros ereptumque ab editoribus Maecenati credo verbum dignum luxuriante eius et discincta eloquentia, verbum rarum et insignitum quod dedere codices, *debilem pede coxo* id est pede claudio. innotuit hoc adiectivum ex glossariis, durat in sermone Hispanorum (Loewe prodr. p. 309, Groeber arch. lex. lat. I p. 555).

VI Optatianum Porphyrium qui Constantino regnante technopaegnia multo^vac molesto labore composuit, Schwabius Afrum origine fuisse coniecit, quod Optatiani in Africa plurimi inveniuntur. accedit opinor argumentum hoc quod ipsius illius artificii studiique, callidae et captiosae aut ludicae litterarum dispositionis nusquam alias tot nobis monumenta occurrunt quot in regionibus

Africanis. haec nunc nolo enumerare aut transcribere, eo minus quo diligentius Africanarum editores inscriptionum id genus artificii quod et antiquissimum est et ubique frequentissimum, acrostichidis usum attenderunt ipsi legentibusque monstrarunt. in hoc igitur genere nihil illos praeteriisse dixerim, etsi ad CIL. VIII suppl. 12792 (*Minuciae* sive *Miniciae Primae Nicodromus uxori fecit*) adnotari potuit nomini puellae mortuae aptatas esse principales cuiusque distichi litteras *Prima, Roma, Inque, Munus, A multis*. aliud autem ac magis memorabile exemplum et inter veteres titulos latinos fere unicum proponam CIL. VIII suppl. 14365, quia consociata cum acrostichide quae O. Hirschfeldium et Ioh. Schmidium non fugit inest telestichis, eaque ratione inscriptionis tumide inepteque conditae, male derasae ac truncatae certior aliquanto meliorque paratur lectio. quamquam in primis versibus et in extremo quae editores ectypo usi non potuerint expedire, mihi quoque in medio relinquenda esse potius quam ad arbitrium mutanda censui. honorarunt titulo isto in Vercula civitate Martenses Cilonium quendam utpote bene meritum de numine suo et collegio, aut honoratus ipse incidendum elogium curavit Cilonius. verba supersunt haec:

M]		[M
A]		[A
R].n.	. . .	[R
Ti		[T

5 In aiu . . multos sintiusos semper ii [I
 In ciuium felix duxit, et maiestas dei i[nvicti divI
 Na Martis fabricata manu constat. dei num[en inge N
 Vi vidit factum similem sibi suo cum [voltV
 In melius reformatum; fuit imago certa sig[n I

10 Cum venerabilior voltus sit. et omnia signa si C
 Tanta opera perfecta ipsa religio demonstra T,
 Omnis quae fecit castra nitere sua, Perpetu O
 Cilonio fabricante. cuius amor crescit adhu C
 In numerum maiorum, quia hoc p(a)rat at dius in[fer I

15 Laetam vitam habere et fama meliore se nob[is ni L
 Ostendit. verum et votum fecit libens anim[O,
 Nam Martensibus gymnasium vinumq. dedit: si[N
 Inmerito, quia solvit donum numini, praesta[r I
 Vt certe iussit et signum pe[rf]i[ci] suo num[er]atV,

20 Sic iioimededit of ic rt [S.

sermonis perplexi et vagantis tricas maxime litteralis tramae expressit necessitas. initio versus 6 *inomum* Cagnat et Sal. Reinach descripserant, *inclutum* coniecit Schmidt, desidero cui *manu* 7 conferatur contrarium nomen ut *ingenium*. versu 7: Mars ipse vidit signum suum in melius reformatum. versu 12 *omnis quae fecit castra nitere sua* aequantia pentametrum verba sic intellego: *quae* tanta opera *omnis* deos *fecit* nitidas habere aediculas, nempe bellatoris dei et propinquorum numinum in Martensium sacrario consessus his tangitur. aequant, inquam, verba pentametrum; quamquam enim pro ablativo *castra* haberi potest, quia *castram* extulisse priscos ut Accium et rursus Afros olim monui, *omnia* tamen *signa* et *omnis* suadent ut usitatam praeferamus declinationem et graecanicam syntaxin. 13 qui scripsit, si meminerat Vergiliani dicti *cuius amor mihi crescit in horas*, aliorum tamen dixit, ut etiam plurium ac maiorum operum amantem et adfectantem Cilonium laudaret. 14 *ad deos inferi*, quasi admixta religioni gentili christiana locutione, hi enim sic locuntur *portae inferi* i. πύλαι ᾗδου. 17: si non voto facto nec voti reus dedit. 19 *dedit* . . Galli descripserant, *pe[r]f[ecit]* proposuit Schmidt, *dedicari* non videntur capere spatia; in exitu quoniam *nutu* pugnat cum lapidis vestigiis, vocabulum collocare novum coactus sum. 20 fortasse *sic florem edidit officii*, ex quibus ultimum satis certum est cum *of. otcie* Cagnat enotarit. ceterum στίχους vides quales in libris ferebantur heroi syllabarum circa XVI (fluctuant numeri inter XV et XVIII), litterarum a XXXV ad XLI.

Bonnae.

Fr. Buecheler.